



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XXXI. Idem Prælati, & Capitulis universitatis a Constantinopol.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

in presenti casu in ipsa sententia specialiter cautum fuerat, molendinum reedificandum esse in eo itatu, ac fuerat tempore motæ litis: unde ad litis contestationem ea verba referri debebant, cum in hoc casu tunc diceretur lis mota, licet in

aliis casibus lis incipiat à citatione, ut docet Felic. Vega. in rubric. de iudiciis, num. 44. & in cap. proposuit, num 67. de foro competenti, & probavi in cap. unic. de litis contest.

CAPUT XXXI.

Idem Prælati, & Capitulis universitatis^a Constantinopol.

EX parte vestra fuit propositum coram nobis, quod venerabilis frater noster Patriarcha vester, occasione constitutionis cuiusdam, quam venerabilis frater noster^b Albanensis Episcopus tunc Apostolicæ Sedis Legatus in partibus^c Romanicæ super legatis edidit defunctorum, & dilect. frater I. titulo sanctæ Prædixis Presbyter Cardinalis, dum ibidem legationis fungeretur officio, innovavit, de quibusdam, quæ vobis, & Ecclesiis vestris legantur à decedentibus, tertiam indebitè à vobis exigit portionem. Cum igitur Episcopus, & Cardinales prædicti (sicut ex eorum interpretatione accepimus) non intellexerint, quod de his, quæ in ornamentis ecclesiasticis, vel ad fabricam Ecclesiæ reparatione indigentis, aut ad Ecclesiæ luminaria, necnon & de his, quæ pro anniversario à septimo, trigésimo, ac vigésimo faciendis; vel de his, quæ personis specialiter, nisi fortè id fiat Ecclesiæ ratione, à quocunque legantur, aliqua deberet solvi portio Ecclesiæ Cathedrali: Nos interpretationem eorum ratam habentes secundum ipsam constitutionem præfatam præcipimus observari, firmiter inhibentes, ne in prædictis aliquid fraudulenter in præjudicium Cathedralis Ecclesiæ procuratur.

NOTÆ.

^a Constantinopolitana) Ita etiam legitur in quinta collectione, sub hoc tit. cap. 3. De hac Imperiali urbe egi in cap. 4. de consuet.

^b Albanensis.] Pelagius videlicet, creatus Episcopus Cardinalis Albanus anno 1211. qui ab Honorio III. in Orientem legatus missus est anno 1218. cum prævalido exercitu, à quo post diuturnam obsidionem Damiatina nobile Ægypti oppidum captum est, ut referunt Jacobus de Vi-

triaci lib. 3. hist. Orient. Vghel. tom. 1. Ital. in Alban. Præsul. fol. 297.

^c Romanicæ.] Idest Thraciæ, cujus caput est Constantinopolis; duæ enim fuerunt provinciæ hoc nomen sortitæ. Prima fuit Flaminia, cujus Metropolis Ravenna erat; alia in Oriente, translato Imperio in Constantinopolin, sicut ipsa civitas nova Roma dicta fuit, ut probat Bosquetus ad Innoc. III. lib. 1. regestr. 13. epist. 33.

^d Septimo, trigésimo.) De omnibus his obventionibus egi in cap. finali, de restam.

CAPUT XXXII.

Idem Episcopo^a Tullensi.

TUA nobis fraternitas intimavit, quod cum tibi pro relevatione oneris debitorum, quo præmeris, duxerimus indulgendum, ut fructus beneficiorum, quæ interim in diœcesi tua vacare contigerit, tibi liceat biennio retinere; quidam Apostolicæ gratiæ privilegium sinistra interpretatione restringere molientes, asserunt præbendas, & majora beneficia nequaquam beneficiorum nomine contineri; super quo interpretationem Apostolicam postulasti. Nos igitur interpretum huiusmodi sententiam reprobantes, auctoritate præsentium declaramus, quod præbendæ, ac alia beneficia generali beneficiorum nomine continentur.

NOTÆ.

^a Tullensi.) Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. final. idest Odoni, qui cum esset cantor ipsius Ecclesiæ, in Prælatum

proprius electus fuit, ut refert Alberic. in chron. ad annum 1218. ibi: Gerardus Merensis Primicerius, frater Comitis Hugonis in Episcopum Tullensem electus moritur, Cantor Odo in Episcopum promovetur.